





DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> JURIDICA  
DE  
**EMTIONE  
VITALITII,**

*Quam*  
RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,**  
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,  
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO &  
CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCL.  
SIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CA-  
NONICO CAPITULARI SENIORE,  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-  
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIIQUE  
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE  
DOMINO SUO GRATIOSISSIMO &c.

*PRÆSIDE*  
DOMINO  
**RUDOLPHO HENRICO Siegler /**  
J. U. D. P. P. E. & Coll. Sax. DECANO.  
placide eruditorum disquisitioni submittit  
AUTOR & RESPONDENS

**Henricus Caspar Harding, Hildesius Saxo-**  
Saxonique Collegii Collegiatus  
die 23. Maii Anno c<sup>is</sup> Iccviii.

*EFFURTI,*  
*Zypis Grossianis, Acad. Zypogr.*





TH. I.

Cturus de emtione vitalitii parum circa exquirienda ipsius vocabuli incunabula ero occupatus. Licet enim illud magna horum voluptate capto non omnino fortassis ab illo, quem mihi proposui, alienum videri posset scopo res tamen est proletaria & otiosae prorsus quæstionis per ea quæ adducit Eckholt *ad ff. tit. de Acquir. rer. dom. Scholarum* enim potius umbras & Grammaticorum pulpita, qui plerumque circa corticem versari saltē, ipsum vero nucleum alii enodandum relinquere consueverunt, quam JG torum subsellia videtur redolere, quippe qui cum Sene ca non in folio saltē nec cum Cynico in dolio philosophantes, veram non simulatam affectant philosophiam. L. 1. §. 1. *ff. de Just. Jur.* nec voces enumerare, verum ipsius rei vim ac pondera appendere, ipsoque adeò ope re potius, quam verbis philosophati professione suā dignum arbitrantur arg. L. 17. *de LL.* L. 6. §. 1. *ff. de verb. signif.* L. 19. *ad exhibendum.* Unde missis illis etiam vel brevibus saltē in præsenti notasse sufficiet, nihil aliud vitalitii emtione à nobis indigitari, quam emtionem alimentorum ad vitam Alimentorum autem nomine omnia

ea intelligenda esse existimo quæ in victu amictu, & habitatione, de qua tamen vid. L. 8. §. 12. de transact. constunt, ac sine quibus corpus ali nequit L. 6. de alim. & cibar. legat. L. 43. & 234. §. 2. ff. de verb. signific. De qua quidem emtione cum nostrum differendi sit propositum, ad emtionem vitalitii, cum merito, omnis, quæ de re aliqua suscipitur institutio à definitione debeat proficisci, ut exinde quid illud sit, de quo disceptetur intelligentia queat juxta illa quæ eleganter monet Cic. lib. I. de officiis, cap. 2. circa fin. me accingo delineandam.

TH. II.

Illam itaque vitalitii emtionem describo, quod sit contractus consensualis §. un. J. de Oblig. que ex consensu quo voluntate liberrimâ L. 16. C. de jure deliberandi L. 11. C. de Contrah. emt. L. 5. C. de oblig. & action. partes inter se convenient de præstandis alimentis ad vitam pro certo pretio. Contractum eum esse consensualem, non est cur multis evincere connitar argumentis, cum Achillei istar esse queat §. un. J. de Oblig. & action. L. 1. §. 2. ff. de rer. permut. Emtionis hujus divisiones quod attinet eadem occurunt varia, quas ipsas tamen, cum & aliis emtionum speciebus sint communes silentii potius populo involvere, quam in ad ducendis istis operam navare placet, nisi quod eandem ab accidenti in diurnam & minus diuturnam dispescere licet, quæ autem isto nomine gaudeant, cum ipsius vocis significatio satis declareret, nec circa illas sollicitus ero explanandas.

TH. III.

Sed tactis summo & quasi per indicem illis, quæ quidem tam circa delineandam quam distribuendam hanc vitalitii emtionem notatu digna occurrere sunt visa, protinus

tinus ad ejusdem originem me conseruo evolvendam. Il-  
lam itaque quod attinet, ad jus gentium ex quo pleraque  
contractum genera introducta esse docet. §. 2. *J. de jur.  
nat. gent. & civ. l. 5. ff. de just. & jure L. 1. §. 2. ff. de con-  
trah. emt.* referendam esse censeo. Usu quippe exigente  
& humanæ necessitate, quæ quidem haud pars insima ju-  
ris gentium §. 2. *J. de jur. nat. gent. & civ.* ea introdu-  
cta. Homo enim absque auxilio sibi similium servari  
impotens. vid. *Pufendorf. de Offic. hom. & civ. cap. 3. §. 7.*  
cum ipse ea sibi comparare, quibus ad quotidianum usum  
indiget, haud posset, nec tamen dominiis distinguis *L. 5.  
ff. de just. & jure alteri suum auferre liceret L. 11. ff. de R.  
Jur. §. 2. J. de his qui sui vel alien. jur. sunt, arg. §. 1. J.  
de rer. divisi*, quo humanæ indigentia pariter & vitæ su-  
stentationi succurreretur fuit opus. Sublatâ inde difficultate  
permutationis, origo coepit emendi vendendique, *L.  
1. ff. de contrah. emt.* gentesque ad societatem stabilien-  
dam, quæ certe interiret, nisi mutua sibi invicem præbe-  
rent auxilia, plerumque enim quod uni superest deest al-  
teri *L. 1. pr. ff. de contrah. emt.* cuique liberam necessa-  
ria quævis comparandi arbitrium concederunt, indeque  
passim etiam alimentorum emtio facta, ab iis potissimum  
videtur, qui eo satius hâc ipsa, sibi vitæque suæ prospe-  
ctum iri existimaverunt.

TH. IV.

Quod ipsum etiam eo magis fuit probandum, quo  
majus conservandæ societatis humanæ, cuiusquidem cuius-  
vis hominis ingenium est studiosissimum, vid. *Grot. de jur.  
Bell. & Pac. in Prolegomen. §. 16.* studium inde elucescit,  
adeo ut etiam foedera legis naturalis violasse censendus sit,  
qui æquo pretio ab alimentorum emtione proximum ar-

cere audet, cum ne in summa quidem frumenti penuria & limentorum emtio juste queat prohiberi imo nec peregrini semel admissi in tali urgente necessitate expelli queant, cum commune malum communiter sit tolerandum prout videtur Grot. lib. 2. cap. 2. §. 19. Prohibens autem istam alimenterorum emtionem, ut contra jura nobis innata, ita etiam contra data peccasse censendus est, cum illa cuivis liberum de re sua disponendi relinquant arbitrium L. 21. C. Mandati. ita ut etiam re sua abuti liceat L. 25. §. 11. ff. de heredit. petitione. Accedit ad hoc quod emtio ista fiat nulla lege prohibente. Nihil enim iniusti quicquam continet. Hoc enim si esset, nulla prouersus esset, siquidem actus contra prohibitionem legis perpatratus ipso jure nullus L. 5. C. de LL.

TH. V.

Visa nunc emtionsis hujus iustitiæ personæ contrahentes sese sunt considerandas. Parum quippe est jus nosse, si personæ quarum causa illud jus constitutum ignorentur §. fin. J. de jur. nat. gent. & civ. Duo autem cum contrahentis hujus sunt fulcra, voluntas nimirum & intellectus, ideo etiam appareat hanc non destitutos ad celebrandum istum merito esse admittendos. Quid itaque de infante, quid de furioso sit tenendum §. 8. §. 9. de inutilit. stipulat. §. 1. J. quibus non est permis. sac. testam. §. 2. J. quibus alien. licet vel non L. 5. de R. J. L. 189. de R. J. L. 15. ff. de solut. L. 28. pr. ff. de paet. satis declarant. Videlicet quod nullum negotium recte peragere queant pr. J. de autorit. tut. §. 4. de Curat. Sicuti itaque nullum negotium recte gerunt ita nec hanc emtionem, quam ipsam etiam nec filiusam, cum parente suo potest celebrare per §. 4. J. de inutil stipul. L. fin. C. de impuber. & aliis substitutionia, L. 4. ff. de judic. arg. §. 6. J. de

272

*J. de nox. action.* Pater enim enim ex naturali ratione ad alendum ex se genitum est obstrictus *L. 6. ff. de alend.* & agnosc. liber. & *L. 4. L. 5. C. de alimentis pupillo praetandis* licet eum potestatis suar. nexibus liberaverit *L. 5. §. 1. ff. de al.* & agnosc. lib. Alere vero debet eum donec vel ipse operis decentibus semetipsum alere *Carpz. Iprud. consistor. lib. 3.* de 81. n. 1. aut aliunde vivere queat *Carpz. P. 2. conf. 10.* d. 18. n. 6. & seqq. Quid si itaque filius habeat unde se alere queat? tamen emtionem hanc non subsistere certum est. Licet enim habeat, unde vivat, filius fam. tamen haud esse definit, jurisque illa dispositio, vinculumque unitatis remanente illo in sacris paternis stabili nexus manet copulatum. Aliud tamen dicendum si peculium castrense habeat. Cum enim in illo pleno gaudet dominio *L. 6. C. de bon. que liber. L. 2. ff. ad SCt. Macedon. L. 15. ff. de castrensi. pecul.* quidni etiam de peculio castrensi ratione alimentarum per integrum vitæ curriculum præbendorum cum patre contrahere posset.

TH. VI.

A liberis ad conjuges, cum inter eos, si non tanta, si milistamen quædam observantia est devolvor, numque inter illos emtio hæc locum habeat paucis erit expendendum. Sunt qui negauim, sunt qui affirmativam amplectuntur, nobis res ipsa quidem distinctione quadam videtur determinanda. Aut enim maritus uxorem in matrimonium accepit dotatam, aut in indotatam. Si dotatam constante matrimonio hæc emtio vix sibi vendicare potest locum, quoniam dos pro sustinendis matrimonii oneribus quo & alimentatio pertinet, vid. *Laut. comp. jur. p. 347.* pro qua tacitam ei concedit hypothecam *Struv. exercit. 26. th. 14.* maritum transfertur *L. 3. L. 7. pr. ff. de jur. dot.* Si indotata-

dotatam, siquidem illud factum nullà dote promissâ necessaria quoque alimenta eidem præbere, maritalique affectione uxorem suam prosequi tenetur. Licet enim dos mulieri detur, ut facilius inveniat maritum *L. 2. ff. de jur. dot.* tamen conjugium absquo dote consistit *L. 3. ff. de jur. dot.* *L. 30. ff. de reg. jur.* & mulier dote nullà constitutâ personam suam pro dote dedisse intelligitur *Gail. lib. 2. obs. 87. num. 1.* Si itaque maritus damnum sentit sibi imputet *L. 203. ff. de R. J.* ægreque hoc passu cum uxore sua istam contrahere erit permisum.

TH. VII.

Aliter tamen res se habere videtur, si promissa quidem dos sit, non tamen exsoluta. Ad quam quidem solvendam juris necessitate pater est obstrictus *L. 19. ff. de jur. dot.* *ritu nupt.* ni filia in scio patre nupsit. Cum enim dos & propter maritum *L. 2. ff. de jur. dot.* & loco alimentorum detur *Gail. lib. 2. obs. 2. n. 9.* filia autem nubendo jam tum utrumque sit consecuta dotis etiam cessat petitio, *Gail. cit. loco.* Quodsi itaque hoc casu dicendum quod res est, celebrari eandem posse affirmandum erit. Cum enim maritus dote constitutâ quidem, conjugio tamen inito, non exsolutâ, uxorem suam ædibus suis exterminare parentibusque remittere queat per ea quæ adducit *Gail. lib. 2. obs. 87. n. 7.* quis dubitaret, quin ad concordem servandum torum vitandaque alterna iurgia lecti cum marito emtionem hanc celebrare queat, cum & alias omnia negocia inter conjuges licite initri queant donatione excepta ne conjugalis inter eos sit venalis amor *L. 1. §. 2. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Qui quidem metus cum in extraneo cesseret eidem donare haud prohibentur quamvis donatio ab ipsis profecta ob tecnicissimum genus mulierum miraculis forsitan esset adscri-

scribenda L. 4. ff. de *Donat*. Sed quid in dote confessata? Dotem cum non scriptura instrumenti dotalis, verum numeratio faciat L. 1. C. de *dot.* cauta non numerata: uxori incumbit affirmanti esse exsolutam §. 4. J. delegat L. 21. ff. de *probat*. L. 2. C. de *edendo* qua quidem legitime facta cessat emtio si minus cum sola confessio & cautio mariti de solutione dotis non sufficiat, imo post contractum matrimonium in fraudem legis facta & simulata presumatur per ea quae adducit *Gail*, lib. 2. obs. 81. n. 3. ista emtio locum poterit obtainere.

TH. VIII.

Omnes nisi facultate contrahendi destitutos contractum hunc celebrare posse supra fuit memoratum. Cum itaque habito certo respectu personæ illustres inque excelsioris fortunæ gradu constituti ab emtione celebranda arceantur L. 3. C. de *commerc.* & *mercator.* qvæstionis est an etiam ab emtione vitaliti hujusmodi personæ sint arcendæ. Dubitandi rationem primam *Lex citataz*, afferre videtur. Verum enim vero ad illam cum *Stryck ad Laut.* p. 484. respondeo. Legem istam intelligendam esse non de quavis emtione verum saltem de mercatura viliori nec non de emtione negotiatoria lucri inde percipiendi causâ instituta cum ejusmodi quæstui operam navare, egregiis quas sustinent, illorum personis parum decoris, imo opprobrii non nihil afferre videatur. Licet apud Venetos (qui tamen nobilitatem suam omnibus præferrunt adeo ut regem Galliarum quondam maximo honore affecturi in censum nobilium coadoptandum esse existimarent) longe aliud plane observari nobilissimaque prosapia natum negotiationem exercere legamus relatum.

TH. IX.

Altera dubitandi ratio tam in rubro ex quo & que ar-

B  
gumen-

gumentum ac ex nigro deducitur, ita ut etiam legum statutorumque rubricæ ad decidendas causas queant allegari si oratione perfecta, quæ ut plurimum ex particula Ut & Nec cognoscitur gaudeant vid. Hammel de action. in proem.) quam in nigro L. 2. C. ne liceat patrocinium potentibus fundare se videtur. Expressis enim lege ista cautum est verbis ut actiones suas cedens in potentiores, quo non solum cedente, sed etiam debitore cesso potentior designatur. Brunn. de cessor action. cap. 7. num. 20. crediti sui sustineat iacturam redimens vero ob voracitatem aper tam poena afficiatur arbitria. Vid. Sand. de action. cess. c. 4. n. 6. Legis itaque istius argumento in dubium quodammodo vocari posset, an, perinde ut actionis in potentiore ita vitalitii etiam emtio locum habere nequeat. Verum rem ipsam ponderans diversa plane hic subesse negotia, adeoque diversimode etiam respondendum esse facili prehendit negocio. Cedentis enim dolus redimenti vero hic coercetur voracitas utrumque cum in nostra cesseret emtione aliud etiam erit dicendum. Unde quin vel cum ipso contrahi queat principe haud dubito cum iste in contractibus utatur jure privatorum Ziegler. de Jur. Maj. lib. 1. cap. 77. §. 1. scqq. omnesque suos actus à justitia poli & soli cupiat regulari Gail. lib. 1. Obj. 14 n. 6. nilque ei nisi quod fas & æquum est placere possit cum omnia jura in pectoris sui scrinio habeat recondita L. 19. C. Testamentis.

TH. X.

Postea quam nunc eas personas contemplati sumus quæ emtionem vitalitii celebrare possunt, methodi ratio exigere videtur ut ad eas quoque personas sermonem nostrum dirigamus quibus cum hic contractus queat celebrari. E-

quidem

quidem cum ex jure gentium descendat arg. §. 2. J. de J.  
N. G. & Civ. eundem etiam cum omnibus quibuscum ju-  
ris genitum est communio arg. §. 1. J. de J. N. G. & vid.  
Grot. lib. 2. cap. §. 18. & 19. iniiri posse erit affirmandum  
Dubium tamen quodammodo videri poterat an inter Ju-  
dæos & Christianos celebrari posset ex recessu imp. de an-  
no 1551. s. dictis zu begegnen. Es soll auch kein Christ-  
ste nec non ex ordinat. polit. de anno 1577. tit. 20. §. Es soll  
auch kein Christus ubi sub poena iacturae Christiano actionem  
nem contra Christianum competentem vendere interdici-  
tur Judæis. Verum cum hic quoad actiones speciale sal-  
tem statutum quod ultra terminos non extendendum arg.  
cap. 15. de R. Jin 60. aliud hic erit dicendum. Inpri-  
mis cum hoc ipsum etiam saltem procedat si judæi non  
in numerum civium sunt relati, ut vendere actionem ne-  
queant secus tamen si jure civium, quod solus princeps  
ipsis concedit interque regalia refertur. Sruv. Exercit. §.  
§. 50. utantur. Hoc enim casu cessiones ab ipsis factæ  
firmæ manent, quoisque usurariæ pravitatis argui ne-  
queunt. Stryck. ad Laut. p. m. 517. Si quis tamen forsitan  
sibi moveret scrupulum de alimonii à Judæo percipiendis  
prout proclives haud pauci reperiuntur arg. L. 8. ff. de con-  
dit. Inst. satius ageret si ab ista abstineret, scrupulo non-  
dum evulso. Cum merito omnis actio judicio in anticipi-  
ti harente quid bonum quidve malum, suspendenda quip-  
pe cum discussa nondum dubitatione ad agendum sese de-  
terminare peccandi propositum aut legis saltem neglectum  
involvat uti nervose refert Pufendorff. in Trattatu suo de  
offic. hom. & civ. lib. 1. cap. 1. §. 7.

TH. XI.

Cum itaque emtio ista cum Judæis aliisque Barbaris

B 2

licet

licet gentibus queat celebrari , multo magis inter Prote-  
stantes, diversaque religioni addictos poterit iniri , omni  
discrimine in sensu politico quoad religionem inter illos  
sublato Recens. Imp. noviss. de anno 164. Sed an etiam  
cum ægrototo quæstionis est. Negandum illud videtur per L. 9.  
C de professor. & medic. & L. 3. ff. de extraordin. cognit. Ve-  
rū enim vero cum Lex saltē loquatur de medico pa-  
ctumque inter illum & ægrotum de salute nullum esse sta-  
tuat, ob diversas ægrotantis penitentes Stryck. ad Laut.  
p. m. 104. in aliis illud haud poterit obtinere, cum ægrotus  
omnia recte peragere queat L. 20. L. 27. de transactiōn.  
Sed quid de servis? Cum hodie inter Christianos servitus  
sit sublata, otiosæ potius quæstionis est, quam ut ei diutius  
insistamus, idemque etiam sere dicendum de hominibus  
propriis. Licet enim à natura servorum nonnihil partici-  
pient, dum proles sequitur conditionem ventris & domi-  
nus eos vendere, locare & pignori dare Struv. exercit. 40.  
§. 27. emigrantes vindicare potest atque ad hos à servis fiat  
argumentatio Schultz. in Synopsi instit. tit. de jur. person. re-  
vera tamen sunt liberi, unde libimet ipsis acquirere bona  
possidere & commercia exercere possunt Gail. de pignor.  
obs. 8.

TH. XII.

Diximus emtionem istam fieri de præstandis alimen-  
tis pro certo pretio §. 1. de contr. emt. L. 35. ff. de contrah.  
emt. vid. Gail. Lib. 7. obs. 13 Certum vero quid dicatur vid.  
L. 6. ff. de reb. cred. Dicitur præterea certum habitu respe-  
cta relationis sive ad præsens sive ad præteritum sive ad fu-  
turum tempus Laut. in comp. jur. p. m. 237. Pretii vero isti-  
ns quantitas quomodo sit determinanda, non adeo certum  
videtur quin ulteriori disquisitione indigeret. Sicuti au-  
tem

tem in hoc contractu in determinandis alimentis ad personas ementes erit respiciendum ita etiam pretii definiti habenda erit ratio. Aliud enim in infante vix cunas relinquente, aliud in sene, alterum pedem jam tum in tumulto habente erit observandum. Quid enim si quis pro embrione, cui quis à patre in testamento, quod vi patriæ potest fieri potest §. 4. de tutel. §. 5. qui testam. tutores dari possunt, tutor datus est, alimenta ad vitam emat, quale pretium hic erit decernendum. Meo quidem judicio arbitrio contrahentium illud erit relinquendum. Si tamen quis pro ratione ætatis, quam pupillus præsumptione juris attingere potest, illud esset determinaturus, tantum æris, quantum pupillus intra decursum 100. annorum incomparandis sibi alimentis esset erogaturus, exigi posse, statendum erit ex L. 56. ff. de usufr. cum iste sit vita finis longissimæ cit. 156. vel si mavis illud ex sacro dignoscere volumine secundum Ps. 90. v. 7. pro ratione 80. annorum erit determinandum.

TH. XIII.

Uti igitur ad ætatem ita etiam ad personas contractum hunc ineuntes erit respiciendum. Aliud igitur, si nobilis aliud si ignobilioris conditionis eum ineat, obtinebit. Sed quid si studiis operam navans eum inierit, an sumptus studiorum quoque erant suppeditandi. Negandum illud omnino videtur per L. 6. & 7. ff. de alimento. & cibar. legat. quā quidem sumptus disciplinarum nisi expressa adsit testatoris voluntas sub legato, alimentorum non comprehendendi continetur. Verum haud commode à legato tirulo quippe lucrativo ad emtionem deduci posse argumentum existimo. Accedit, quod ejusmodi contractum iniens scire debeat conditionem secum contrahentis. L. 19. ff. de R. J.

studiosumque haud vivere posse sine necessariis in Academias sumtibus, unde adeos suppeditando venditorem alimentorum etiam teneri, siquidem alimenta generaliter sumta sumtus studiorum quoque comprehendant *Laut. in comp. jur. p. m. 397.* pene ausim affirmare licet alimenti ex contractu promissis sumtus studiorum non deberi plerumque statuant *vid. Struv. Iprudent. p.m. 279.* Limitandum tamen hoc ipsum si & literis operam det nec pecuniam alio modo prodigat. Cessantibus enim studiis, cessant etiam impendia adeo ut hoc casu etiam filius studiorum sumtus conferre tenetur ad quod alias haud erat obstrictus *L. 50. ff. fam. hercic. vid. plurib. Stryck. de Success. ab intestato p. m. 1146.* Eum enim vere studiosum dici constat qui liberum cum lumine sumit unde illud omittens non debet gaudere Studiosorum privilegiis licet in matriculam Universitatis sit receptus referente *Gail. lib. 2. obs. 118 n.8.* nec civitas nisi strenue Studenti ea dare tenetur *Gail. cit. loc. quamvis aufugienti cuidam ex Musaram castris, Martisque signa sequenti, non obstante quod in favorem saltem togata militia subsidia studiorum constituta ea suppeditata esse meminerim.*

TH. XIV.

Initus hic contractus utriusque contrahentis consensu §. un. *J. de obligat. ex cons.* unde unius non sufficere ad perficiendum istum, voluntatem *L. 1. §. 2. ff. de pacis,* sed alterius quoque requiri consensum, sine cuius interventu ne obligatio quidem nata *L. 55. ff. de O. & A. ex hactenus apparent dictis.* Ut autem mutuus requiritur consensus, ita liber quoque sit necessum est. Illud ipsum enim natura hujus contractus dicitur quippe qui descendit ex consensu cui nil tam contrarium quamvis & metus, *L. 116. de R. J.*

Nec

Nec obstat quod ad ea præstanta publica auctoritate quis  
adigi possit, ad quæ, si liberum ipsi de re sua disponendi  
concessum esset arbitrium se nunquam accommodasser.  
Hoc ipsum enim saltem extra ordinem, & non nisi urgente  
aliqua necessitate aut utilitate quadam publica svalente  
obtinet. Quæ ipsa quidem utilitas publica, si manifesta  
est, merito ei privata cedere debet. L. 3. C. de primis.  
arg. pr. J. de usucap. Unde etiam cogente tali necessitatibus  
telo non solum ad emendum vendendumque quis cogi  
potest arg. L. 14. §. 1. ff. quemad. Servitus amitt. L. 12. pr. ff.  
de religios. & sumit. fun. verum etiam quo minus res suas  
vendat omni jure adigitur. Hinc etiam est, quod hosti  
L. 21. C. Mandat. res suas, istas præsertim quæ ad stabilien-  
dam instruendamque spectant militiam vulgo Contrabande  
Wahren/ vide Ziegler. de Jur. Maj. lib. I. cap. 41. §. 25. ven-  
dere aut subministrare ne queat ni quis hostium numero  
velit accenseri, cum non solum hostis sit, qui nobis vel cui  
nos publicè bellum decernimus vid. L. 24. ff. de captiv. &  
postlim. revers. L. 18. de verb. signif. Grot. lib. 3. cap. 3. §. 1.  
verum is quoque qui, quæ hosti placent facit Grot. lib. 3.  
cap. 17. num. 3.

TH. XV.

Cum igitur nihil magis liberæ oblet voluntati quam  
metus L. 168. de R. J. quæstio hic exoritur an eumq; hæc  
metu contracta sit valida. Evidem cum communiter  
ad hoc ipsum respondeant affirmando, istaque sententia  
non infirmo adeo nitatur talo, nostrum eidem merito ad-  
jicimus calculum. Nec enim regulariter metus, iustus  
licet, veluti verberum, cruciatus L. 4. C quod met. causâ  
licet per minas saltem illatus Siruv. exerc. 8. th. 13. con-  
sensum indeque dependentes excludit actus. §. 19. de except.  
l. fin.

*I. fin. C. codem.* Illius enim principium non est simpliciter extra agentem L. 21. ff. quod met. causa L. 87. ff. de Acquir. & omitt. hered. ei, quod coacta voluntas sit etiam voluntas L. 25. ff. quod met. caus. unde & metu promittens quoad se manet obligatus. *Vid. plur. Grot. lib. 2. cap. XI. §. 7.* Merito tamen hoc casu ejusmodi negotium metu contractum rescinditur indeque competens actio exceptione juris quodmet causa eliditur. §. 1. *J. de except.* L. 9. §. 3. ff. quodmet causa L. 1. *C. de rescind. vendit.* L. 5. *C. de inut. stipul.* Rescissione tamen plane non indiget matrimonium metu contractum, sed est ipso jure nullum ob infaustos successus metum istum insequentes *cap. 17. §. 29.* *X. de sponsal.* adeo ut juvenis cum puella dormiens invente perque parentes compulsus ad matrimonium recedere queat ipsumque matrimonium sit nullum nisi sponte iterum subsequatur copula *Gail. lib. 2. Obs. 93. num. 28.* Nec autem metus solum obstat libertate voluntati verum etiam error L. 15. ff. de *Jdict.* L. 19. ff. de *in officioso testam.* L. 15. ff. de *R. J.* qui circa substantialia negotii commissus veluti circa individuum quicum quis erat contracturus vel pretium, negotium reddit ipso jure nullum L. 9. ff. de *contrah. emt.* Nec *Obst.* L. 1. §. 4. ff. de *V. O.* Supponitur enim istic casus, ubi ad certam quantitatem a stipulatore non est respectum ut proinde facile etiam in minorem summam stipulator fuerit consensurus. Sed cum ad certam summam ementis intentio in hoc contractu sit restrita alius omnino etiam hic dicendum. *Stryck. ad Lauterb.*  
*p. m. 501.*

TH. XVI.

Solent interdum ea etiam à contrahentibus adhiberi, quæ licet à limine negotii hujus repellerentur tamen illud

illud ipsum facerent subsistere, quo etiam referenda vide-  
tur manuum ab utraque parte conjunctio. Toto enim  
illud accidere videmus die inter mercatores in primis qui  
vix rite satis negotia sua procurari existimant, nisi mani-  
bus magno interdum cum strepitu in vicem juncitis. Quod  
ipsum licet inveterato cuidam mori apud ipsos sit tribu-  
endum haud tamen necessitatem quandam exinde censeo  
inferendam. Ambabus tamen & illud ulnis largior, inde  
magis animum deliberatum, consensumque confirmatum  
majorem imo elucescere fidem. *vid. Wehner, observat. pra-*  
*dic. voce Handgegebener Treu.* Firmi enim foederis  
pangendi stabiliendique exordium à porrigenda manu  
dextra ut plurimæ gentes sic nostri præsertim Germani fa-  
cere solebant eo forsitan indicaturi, pro fide semel data,  
nec manus, quæ homini pro hasta armis & ense data *vid.*  
*Grot. lib. I. cap. 2. §. I. num. 4.* fese in omni discrimine ad-  
hibere haudquam detrectare. Quin imo tanta dextræ  
dationis efficacia, ut haud raro vim juramenti habeat, præ-  
sertim si ab illustribus, nobilibusque facta apud quos hand  
infrequens est data dextrâ hec Cavalliers Parohl oder  
hec Treu und Glauben fese obligare. *vid. Gail. lib. 2. obs.*  
*59. num. 7.*

TH. XVII.

Vitalitii igitur hoc contractu legitimè inito inde utrin-  
que directa ex negocio quippe bilaterali statim ab initio  
provenit obligatio, quæ tamen non ita adhæredes transit  
ut & venditoris hæres ad alimenta emtoris hæredi isteque  
venditoris hæredi ad pretium sui causa teneatur exsolven-  
dum. Licet enim regulariter omnis obligatio ex contra-  
ad hæredes utrinque transeat I. 49. ff. de Oblig. & action.  
L. 9. ff. de probat. l. 14. ff. de acquir. & amitt. possession.  
C aliquan.

aliquando tamen id ipsum aliter se habet, *arg. l. 202 ff. de reg. jur.* Fallit enim si inter contrahentes conventum ut negotium inter eos peractum tam diu valeat, quoad contrahentes velint, tum enim obitum, penes quem erat jus eligendi finitur *l. 4 ff. locat.* cum ea, quæ ad bene placitum concessa morte revocata censeantur. Ultimus quippe humanæ voluntatis terminus mors est & moriendo velle definit homo *cii. L. 4.* Deinde etiam morte extinguitur obligatio si tale sit negotium quod personæ cohæret §. 4. *§ 5. J. de societate* quod cum & merito causa alientorum referatur quippe quæ morte finitur *Gail. lib. 2. Obs. 88. num. 13.* nulla certe dubitandi subest ratio, quin obligatio cum ipso contrahente extingvatur, nec ad hæres ullà ratione queat pertransire.

TH. XVIII.

Coronidis denique loco emtionis reditum ad vitam, magnam quippe cum nostra affinitatem habentis aliquam inferre mentionem operæ videtur esse pretium, *in compend. jur. p. m. 228.* nihil aliud sunt quam jus in re certam quotannis præstationem exigendi venditione & quasi traditione constitutum. A mutuo potissimum in eo differunt, quod in hac emtione reditum illico fors tanquam pretium in venditorem transferatur, ita quidem, ut, emitori, quoisque quidem vendor exsolvit reditus eam repeteret fit denegatum, secus at in mutuo ubi liberum juxta legem conventionis revocandi sortem creditorum concessum est arbitrum *vid. Gail. lib. 2. obs. 7. n. 6.* Anumerantur autem hi reditus præsertim irredimibiles immobiles Renter rebus immobilibus, unde possidens

à fatis-

à satisdando liberatur L. 17. ff. qui satisdare cogantur, de-  
trectantemque redditus exsolvere, interdicto uti poside-  
tis convenire potest Gail. lib. 2 obs. 10. n. 6.

TH. XIX.

Cavendum tamen in hac emtione redditum, ne  
ultra summatum determinatatum in Pollicey Ordnung de  
anno 1577. tit. 17. Und nach dem verb. Sollen mit hun-  
dert Gulden Haupt-Geldes nicht mehr dann fünff  
Gulden jährlich verkauffet werden. Quod enim ultra  
justam pensionem est tanquam usurarium deducitur, nisi  
emtio redditum sit ad vitam ubi etiam citra usurariam pra-  
vitatem ultra quantitatem citata ordinatione expressam  
procedere licet ob incertitudinem lucri vi cuius etiam vi-  
talitatem emtio sustinetur licet emens 2000. florenis alimen-  
ta ad vitam tertio vel quarto die post emtione contractam  
obierit Nec remedium L. 2. C. de rescid. vendit hic  
locum habet vid. Sandel lib. 3. decif. frisic. tit. 4. def. 17. Habet  
enim ista emtio magnam affinitatem cum emtione spei de  
qua vid. L. 8. ff. de Contrah. emt. vel etiam jactus retis L.  
12. ff. de action. emt. Ut autem in emtione spei ad omne  
preium quis tenetur exsolvendum licet nec quicquam  
vel natum ibi sit vel captum L. 8. §. 1. ff. de contr. emt. nec  
venditor etiam conqueri potest licet captum longe pretii  
quantitatem excedat L. 12. ff. de action. emt. Neuter enim  
ob lucrum incertum se læsum esse dicere potest, ita etiam  
in emtione alimentorum ad vitam nulla hic querela vel  
restitutio habebit locum adeoquidem ut uterque etiam  
in foro conscientia sit securus ubi enim ex actu aliquo per-  
inde commodum ac incommodum sentit lædi non dicitur  
L. 10. ff. de reg. jur. § 3. J. de contrah. emt. si casu præter ex-  
pectationem percipiat commodum, cum sola incertitudo

ansam præbeat, vi cuius interdum nonnulla sunt licita,  
quaæ alias in casu certo haud essent licita nullaque  
ratione forent concedenda vid. Gail. lib. 2. obs. 8.

## COROLLARIA.

### I.

*Princeps legibus solutus est non so-  
lum quoad vim coactivam verum etiam  
quoad vim directivam, licet voluntate  
spontanea legibus submittat principa-  
tum.*

### II.

*Duplicem ex servitute provenire  
actionem plerumque quidem sentiunt  
illo tamen non obstante stat sententia  
unam saltem nimirum actionem con-  
fessoriam, ex servitute ortum suum tra-  
bere.*

### III.

*Non solum liberi ex justis nupiis  
procreati pro legitimis habendi verum  
etiam ex putativis.*

F I N I S.





**ULB Halle**  
002 716 64X

3



S. 6.





DISSESSATIO JURIDICA  
De  
**EMTIONE  
VITALITII,**

*Quam*  
RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,**  
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRAE CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSIILARIO INTIMO &  
CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLE-  
SIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CA-  
NONICO CAPITULARI SENIORE,  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-  
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIIQUE  
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE  
DOMINO SUO GRATIOSISSIMO &c.

**PRÆSIDE**  
DOMINO  
**RUDOLPHO HENRICO** Siegler /

J. U. D. P. P. E. & Coll. Sax. DECANO.  
*placide eruditorum disquisitioni submittit*  
AUTOR & RESPONDENS

**Henricus Caspar Harding, Hildesius Saxo-**  
Saxonique Collegii Collegiatus

die 23. Maii Anno 1788.

ERFFURT,  
Typis Groschianis, Acad. Typogr.